

*nalem et realem.* — Verum quidem est, esse notabilem differentiam inter censum personalem et realem; nam si debitor non sit solvendo potest prædium censui reali subiectum vendi, aut in dominium vindicari: secus fit in censu personali, quia persona libera non potest in servitutem rapi propter debita. Omitto alias differentias.

160. *De jure humano census personalis non licet tibi, ubi jus illud receptum est, bene vero alibi.* — Dicitur autem notanter de jure naturali; quia sicut ex utraque parte redimibilis, et perpetuo irredimibilis, ita etiam personalis census per constitutiones Pontificias supra citatas prohibitus est, consequenter non nisi in locis, ubi illæ vel non receptæ, vel abrogatæ sunt, valet.

## § IX.

DE OBLIGATIONE SOLVENDI USURAS, ET DE DOMINIO SOLUTARUM, NECNON DE RESTITUTIONE EARUMDEM.

161. *Debitor ex mutuo non tenetur solvere promissas, vel pactas usuras.* — Quæritur I. An debitor promissas aut pactas ob mutuum teneatur solvere usuras lucratorias? Resp. I. Debitor ex mutuo non tenetur solvere veras usuras lucratorias, etiamsi eas solvere promiserit, nisi sub juramento ad eas solvendas se obligaverit. Communis et certa, ob claram dispositionem juris c. *Debitores*, 6, de *Jurejur.*, cujus textum lege, n. 163.

162. *Nisi juramento ad eas solvendas se obtraxerit. Quod tamen juramentum remittere debet creditor.* — Resp. II. Qui non simplici promissione, pactove, aut contractu, sed etiam sub juramento se obligavit ad solvendas veras usuras ex mutuo, tenetur quidem illas solvere, nisi creditor hujusmodi juramentum remittat; nihilominus potest creditor adigi, ut juramentum, et per consequens etiam usurarum solutionem remittat: casu autem, quo vi juramenti eas jam solvit debitor, potest illas in judicio repetere, debetque creditor ad eas debitori denuo restituendas compelli. Rursus communis et certa expresse sic disponente jure. Et quidem prima pars de remissione juramenti, c. 1, de *Jurejur.*, ibi: «Mandamus, quatenus creditores ad juramenta super usuris sibi præstita, relaxanda ecclesiastica districtione cognatis.»

163. *Qui usuras etiam ex juramento debitas*

*solvit, potest eas coram judice iterum repetere.*

— Altera vero pars, quod vi juramenti jam solutæ usuræ iterum repeti et restitui debeant, arg. c. *Debitores*, 6, de *Jurejur.*, ibi: «Debitores ad solvendas usuras in quibus se obligaverant, cogi non debent. Si vero de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt, Domino reddere juramentum. Et cum usuræ solutæ fuerint creditores ad eas restituendas sunt ecclesiastica severitate (si necesse fuerit) compellendi.

164. *Quid, si juravit, se non repetiturum illas.* — Quod si debitor etiam jurasset, se non repetiturum usuras solutas, nihilominus creditor compelli potest, ut vel juramentum remittat, vel ab usurarum exactione desistat; vel poterit non obstante hujusmodi juramento per judicem ex officio compelli ad restituendas usuras jam solutas, ita clare statutum habetur c. *Tuas dudum*, 13, h. t. ubi etiam ratio redditur illis verbis: «Ne dolo et fraude contingat eos (creditores scilicet), commodum reportare.»

165. *Usuras compensatorias, aut moratorias, aut alio titulo receptas nemo obligatus est solvere.* — Dicitur autem notanter in utraque conclusione, num. 161 et 162, posita, veras usuras lucratorias, siquidem ad usuras compensatorias, et moratorias, seu punitorias (de quibus § 4 et 5), solvendas in utroque foro tenetur, sicut etiam ad illas, quæ aliquo justo titulo veræ, et proprie tales usuræ non sunt.

166. *Usurarius acquirit dominium rerum per usuram receptorum, si aut ipsius bonis propriis permixtæ, aut confusæ sunt, ut discerni nequeant. Commixtione et confusione acquiritur rei alienæ dominium.* — Quæritur II. An usurarius acquirat dominium earum rerum, quas per veram usuram accepit? Resp. I. Si per usuram acceptum consistit in pecunia, frumento, vino, vel alia re fungibili, idque jam aliis propriis rebus creditoris commixtum aut confusum habetur, dominium illius omnino habet dominus (manente tamen obligatione restituendi idem in æquivalenti per dicenda infra num. 171.) Communis et certa. Ratio est, quia etiam rerum alienarum, quin et furtivarum, vel alias injuste acquisitarum, per admixtionem, cum propriis acquiritur dominium, § *Si duorum*, § *Quod si Instit. de rerum divis.* et l. *Si alicui*, 78, ff. de *Solution.*

167. *Minime vero illarum rerum, quæ ita permixtæ non sunt.* — Resp. Si res quæcum-

que etiam fungibiles cum aliis propriis usurarii rebus permixtæ, aut confusæ non sunt, dominium earum nullatenus acquirit usurarius. D. Thomas 2, 2, q. 78, art. 3, ad 3. Covarruvias, lib. III, *Variar. resolut.*, cap. vi, n. 3. Sylvester, y. *Usura*, 6, q. 1. Layman, lib. III, tr. IV, cap. xvi, n. 7, cum communi aliorum contra Glossam in can. *Si quis usuram*, cau. 14, q. 4, et quosdam alios. Ratio conclusionis est, quia ad acquirendum rerum dominium non sufficit sola traditio, sed requiritur præcedens venditio, vel alia justa causa, l. *Nunquam*, 31, ff. de *acquirend. rerum dominio*; quæ justa causa in usura non adest, cum usuras tradentis voluntas, quam pro sufficienti causa allegat adversarii, non sit transfere dominium usuræ in usurarium, hoc ipso, quod non censeatur rem usurarium creditori donare, nec per traditionem plus juris in creditorem transferre, quam quod debet; nil autem ei debet, per dicta, n. 161.

168. *Usurarius præter rem usura acceptam tenetur etiam restituere fructus illius, si est frugifera.* — Confirmatur: Usurarius tenetur ad restitutionem rei ut raptor, can. *Si quis usuram*, cau. 14, q. 4. Raptor vero, aut fur dominium rei furtivæ non acquirit, l. *in re*, 8, et l. *Sive manifestus*, 10, ff. de *Condict. furt.* Imo, si res frugifera est, tenetur una cum illa etiam fructus inde perceptos restituere; ergo dominium illius non acquirit, cum alias fructus faceret suos, utpote qui ad rei dominum pertinent, § *Si quis a non domino*, 35. Instit. de *rerum divis.*

169. *Non vero fructus, seu lucrum mediante pecunia usuraria per industriam acquisitos.* — Illud tamen notandum, quod si usurarius pecunia per usuram accepta quid emat, aut negotietur, inde comparatæ rei verum acquirat dominium, textu claro l. *Si aliena*, 8, C. *Si quis alteri, vel sibi*. Ratio est, quia res per pecuniam usurariam comparatæ non sunt fructus pecuniæ, utpote ex se sterilis, sed fructus industriæ: Quare etiam depositarius, fur, et uxor id, quod ex re deposita, furtiva, vel mariti defuncti ad filium pertinet acquirat, sibi, non aliis acquirit, l. *Si ex ea*, 6, de R. V. N. *Qui vas*, 48, § 7, ff. de *Furtis*, l. 1. C. *Si quis alteri, non sibi*.

170. *Solvitur objectio.* — Nec dicas contra num. præced. doctrinam. Nullus debet ex iniquitate sua referre commodum; ergo nec usurarius ex pecunia per iniquitatem usurariam accepta. Resp. Usurarium non re-

ferre lucrum ex ipsa usura, sed ex propria industria usurariam pecuniam applicante; nec enim iniquum est, ex actu alias malo reportare commodum temporale, prout patet in actu meretricio.

171. *Usurarius tenetur usuras acceptas restituere, et cui?* — Quæritur III. An usurarii, eorumque hæredes teneantur ad restitutionem? Resp. I. Certum est, quod, qui usuras recipit, in utroque foro teneatur ad restitutionem earum, sive clericus ille sit, sive laicus. Patet id ex cap. 1 et 11, h. t. Neque enim in uno minor est ratio quam in alio, cum uterque furi ac raptori comparetur, can. *Si quis usuram*, cau. 14, q. 4, et rem non suam detineat, quo proinde est obnoxia restitutioni: siquidem peccatum non dimittitur nisi restituatur ablatum, ut habetur *Regula 4, juris*, in 6, et c. *Cum tu*, h. t. Et quidem hæc restitutio usurarii imprimis debet fieri his, a quibus extortæ fuerunt, vel eorum hæredibus, vel, si hi non extent, aut non sint superstites, pauperibus, prout cit. c. *Cum tu*, 5, h. t.

172. *Etiam Judæi tenentur ad restitutionem usurarum.* — Resp. II. Etiam Judæi compellendi sunt ad restituendas usuras extortas a Christianis, per subtractionem communionis Christianorum, vel alias per principes et potestates sæculares. Ita habetur decisum c. *Post miserabilem* et c. *Quanto amplius*, h. t. Nam generaliter dicitur c. *Si quis usuram*, 14, q. 4, ibi: «Si quis usuram acceperit, rapinam facit.» Et constat, Judæos jure naturali et divino obligari, quo utroque usuræ sunt damnatæ; neque eos excusat illud, Deut., xxiii, de quo diximus supra, cum id Christus revocaverit, Luc., vi, dicens: «Mutuum date, nihil inde sperantes:» simulque nunc cessaverit ratio dictæ concessionis ibidem assignata.

173. *Sicut et hæredes usurariorum.* — Resp. III. Hæc obligatio restituendi usuras transit ad hæredes usurariorum, non tantum suos, sed etiam extraneos. Ita habetur c. *Tua nos*, h. t., ibi: «Respondemus, quod filii ad restituendas usuras ea sint districtione cogendi, qua parentes sui, si viverent, cogerentur, id ipsum quoque ad hæredes extraneos credimus exercendum.» Et ratio est, quia hæ res non fuerunt defuncti, ac proinde nec hæredis esse possunt, ne alieno scelere ditescat.

174. *Nec quidem ultra vires hereditatis.* — Non tamen hæres tenetur ultra, quam fert



hæreditas, arg. c. *In litteris, de Raptoribus*: ibi: « Hæredes ejus moneas et compellas, ut juxta facultates suas (id est, defuncti, uti ibidem bene advertit Glossa, §. *Facultates*) condigne satisfaciant. » Et concordat l. *Ex qua*, ff. de *Reg. jur.*, ibi: « Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet. »

175. *Bene vero quandiu aliquid de hæreditate superest, etsi res usuraria non amplius adsit. Hæredes tenentur ad resarcienda damna a defuncto illata, etsi inde nullum commodum exortum sit damnificanti.* — Cæterum hæc obligatio restituendi premit hæredes, etsi res usuraria ad eos in natura non devenit, nec per illam hæreditas illorum fuerit aucta, ut post Henricum Canisium, de *Usuris*, cap. vii, num. 4, bene advertit Engel, h. t., § 3, n. 3, quia de jure canonico hæredes ad exonerationem conscientie tenentur pro viribus hæreditatis satisfacere cunctis illis, quibus per defunctum damnum illatum est; etiamsi ex tali damno hæreditas aucta non sit, arg. c. fin. de *Sepult.* et c. *In litteris*, 5, de *Rapt.* Et cum res salutem animæ concernat, et ipsa ratio naturalis dictet, ut injuste læsus ex bonis hæreditatis suam capiat satisfactionem, etiam quoad forum civile huic dispositioni juris canonici se accommodare debet, juxta ea, quæ diximus in *Proemio*, § 42, a n. 219.

176. *Paupertas usurarium, et hæredes illius excusat a restitutione, donec ad pinguiorem fortunam veniant.* — Limitatur tamen doctrina hæc in casu, quo usurarii, vel hæredes illorum notorie pauperes, et ad restituendum impotentes existunt: hi enim, sicut moraliter saltem non posse supponuntur, restituere non tenentur, donec ad pinguiorem fortunam pervenerint, l. *Nam is*, ff. de *Dolo* et c. *Cum tu*, 5, h. t., ibi: « Dummodo in facultatibus habeant: » et infra: « Cum eos nota paupertatis evidenter excuset. »

177. *Mentalis usurarius nil restituere tenetur, si nil recipit.* — Quæritur IV. An etiam usura mentalis obliget ad restitutionem? ubi per usuram mentalem non intelligitur nudum propositum usuras accipiendi vel exigendi, sed actus ille exterior, quo datur mutuum cum intentione recipiendi lucrum vi ipsius, nullo tamen pacto externo superaddito, prout explicavimus supra, n. 6. Resp. I. Certum est, usuram mentalem non inducere obligationem restituendi, si nullum lucrum

vi mutui fuit subsecutum, seu si debitor creditori nullas usuras solvit.

178. *Vel si ex mera liberalitate creditoris, et non vi mutui quid accipit.* — Resp. II. Insuper si mutuarius ex mera gratitudine, benevolentia, et liberalitate quidpiam dederit ultra sortem, nulla est obligatio id restituendi, quamvis tale lucrum mutuator intenderit principaliter, utpote alioquin non mutuaturus, nisi ob perspectam mutuarii gratitudinem tale commodum seu lucrum sperasset. Ita Pirhing, h. t., num. 133, cum Navarro et aliis communiter. Ratio est clara; quia hic nil intenditur, neque recipitur vi mutui, sed ex mera liberalitate et gratitudine mutuarii; unde nec intervenit usura mentalis.

179. *Usurarius mentalis tenetur ad restitutionem usurarum vi mutui receptorum.* — Resp. III. Mutuator intendens lucrum recipere vi mutui licet sine pacto externo, committit usuram mentalem; et si quid accipiat ultra sortem, quod mutuarius non ex mera liberalitate, sed tanquam debitum ratione mutui dedit, tenetur etiam in foro animæ ad ejus restitutionem. Ita expresse habetur c. *Consuluit*, h. t., juncta Glossa, ibid., § *Male agere* et omnibus doctoribus.

180. *Solvitur obiectio a pari de simonia mentali.* — Nec obstat cap. ult. de simonia, ubi dicitur, quod qui nullo pacto, sed solo animi affectu simoniam commiserunt, non obligentur ad accepti restitutionem, sed taliter delinquentibus sufficiat per solam poenitentiam suo satisfacere creditori; et consequenter a pari idem videtur dicendum de usura pure mentali. Resp. enim I. Licet hæc instantia multum torqueat doctores, disparitatis rationem esse; quia id, quod pro usura datur, coacte datur, id est, absque consensu præstito per viam contractus secundum se approbati; quod autem pro simonia datur, sponte datur id est, per contractum emptionis et venditionis, qui secundum se approbatus est, ut explicat Navarrus c. 23. *Manualis*, n. 105. § quinto, et sequitur Vallensis h. t. § 4, n. 3.

181. *Datur disparitas.* — Accedit alia ratio disparitatis ab iisdem doctoribus assignata. Siquidem in usura turpitudine solum est ex parte recipientis; nam usura bene solvitur, sed male recipitur: neque enim usuramolvere est peccatum, arg. c. *Debitores, de Jurejur.* E contra in simonia est turpitudine ex parte utriusque; quam tam si-

moniacæ dans, quam recipiens peccet, et male agat: atqui in pari delicto potior est conditio possidentis, juxta Reg. 65, juris in 6, cum Concordantiis: quod intellige, nisi aliud lex specialis disponat; prout fit in simonia reali, arg. c. de hoc. de simonia, non etiam in mentali. Et hinc fit, quod in simonia mentali non teneatur quis receptum restituere, cum par sit suum et dantis delictum; bene tamen receptum ob usuram mentalem, ubi dans est innocens, et absque delicto, quia melior conditio innocentis.

182. Fateor tamen non deesse doctores, quos citat et sequitur Wagnereck c. *Consuluit, de usuris* volentes, quod usura et simonia mentalis juris divini atque naturalis ambulet pari passu, ac proinde etiam recepta per simoniam mentalem juris divini sint obnoxia restitutioni. Unde ad cap. ult. de simonia respondent, ibi esse sermonem de simonia mentali juris duntaxat ecclesiastici, quæ non obligat ad restitutionem, si sit pure mentalis; cum Ecclesia de occultis et mere internis non disponat, neque judicet. Quod autem ibi sit sermo de simonia mere ecclesiastica, desumunt hi doctores ex eo; quia agitur de poenis dimissionis beneficiorum simoniace obtentorum, quæ solo jure ecclesiastico simoniacis imposita est (nam hanc poenam Deus non imposuit, sed Ecclesia) et ad quam noluit Papa obligare committentes simoniam mentalem duntaxat. Eligatur responsio, quæ magis placuerit; mihi secunda, et n. præced. allata præcæteris placet.

## § X.

## DE POENIS, ET JUDICE USURARUM.

183. *Pœnas usuræ non nisi manifesti usurarii contrahunt primum post sententiam declaratoriam judicis. Usurarius manifestus, quid sit?* — Quæritur I. Quænam sint pœnæ in usurarios statuta? Resp. Præter obligationem restitutionis jure divino debitæ, utroque jure humano multas esse pœnas usurariorum, sive clericorum, sive laicorum, utroque jure statutas; quæ tamen pleræque solæ usurarios manifestos, id est, facto vel jure tales, constringunt; dicitur autem manifestus usurarius factus, qui palam exercet usuras, ita, ut nulla tergiversatione id negare valeat. Jure autem manifestus usurarius dicitur qui vel hoc crimen in ju-

dicio confessus est, vel de illo convictus; vel de eodem per sententiam judicis condemnatus. Sylvester § *usura*, 9, q. 1. Menochius de *Arbit. judic. casu*, 235, a nu. 9, et alii volentes requiri insuper sententiam judicis usurarii manifesti, ad hoc, ut pœnas juris incurrat, arg. c. *Cum secundum*, 19, de *hæretic.* in 6.

184. *Usurarii manifesti pœnæ sunt. I. Infamia.* — Prima itaque eorum pœna est, quod usurarii manifesti sint ipso jure infames, c. *Infames*, § fin. 3, q. 7, c. *Dilectus*, 10, de *Excessib. prælat.* l. *Improbum*, 20, c. *quibus cau. infam.*, quæ tamen ipso facto cessat, casu, quo usurarius vere respiscat, ac restituat. Felinus in c. 1, de *Probat.* n. 19. Salas de *usuris*, dub. 47, n. 1.

185. *II. Clericus usurarius privatur beneficio, et fit inhabilis ad aliud.* — Secunda: Clericus usurarius, si monitus non desistat, ab officio et beneficio deponendus, ac insuper ad illud recipiendum inhabilis est, arg. c. *Præterea*, 7, de *usuris*, can. *Inter dilectos*, 11, de *Excess. Prælat.* can. *Si quis*, 5, dist. 47.

186. *III. Laicus usurarius subjacet excommunicationi et irregularitati.* — Tertia: Usurarii manifesti, si laici fuerint, excommunicari debent, usque dum debite satisfecerint, cit. c. *Præterea*, 7, h. t. et ipso facto irregulares existunt, can. *Maritum*, 2, disp. 33, can. *Seditiones*, 8, disp. 46.

187. *IV. Privatur etiam sepultura ecclesiastica.* — Quarta est ut usurarii manifesti non admittantur ad communionem altaris (id est, ad perceptionem sacramenti Eucharistiæ, nec Christianam, si in peccato decesserint) accipiant sepulturam, sed nec oblationes eorum quisquam decipiat. Ita habetur statutum in concilio Lateranensi sub Alexandro III, ac refertur c. *qua in omnibus* h. t. Quin imo c. 2, h. t. in 6, additur manifestis usurariis, licet mandaverint usuras restitui in ultimis voluntatibus, nihilominus ecclesiasticam sepulturam esse denegandam, nisi prius de usuris (juxta quod patiuntur facultates) fuerit plene satisfactum; vel secundum formam illius decreti idonee caveatur. Taceo alias usurariorum manifestorum pœnas, quæ cit. c. 2, h. t. imo et in Jure Bavarico lib. II, der Lands- and Policey-Ordnung referuntur.

188. *V. Amittit partem sortis principalis.* — Quinta est amissio quartæ partis de sorte principali, quæ vigore Constitutionis Maxi-



milianus I, 1500, Caroli V, 1548, Augustæ et Rudolphi II, 1577. Francofurti editæ fisco cedit.

189. *VI. Est inhabilis ad condendum testamentum, et ad assistendum eidem.* — Plures aliæ manifestorum usurariorum pœnæ comprehenduntur c. 2, h. t. in 6, ubi inter alia dicitur: Nullus manifestorum usurariorum testamentis intersit, aut eos ad confessionem admittat, sive ipsos absolvat, nisi de usuris satisfecerint, vel de faciendo pro suarum viribus facultatem præstent (ut præmittitur) idoneam cautionem. Testamenta quoque manifestorum usurariorum aliter facta non valeant, sed sint irrita ipso jure. Hæc ibi.

190. *Sunt præterea usurariorum variae pœnæ municipales, uti in Bavaria.* — Præter has a jure communi statutas pœnas usurariorum sunt aliquæ per leges municipales statutæ, quæ in suis locis videndæ et observandæ in nostra Bavaria.

191. *Licita et utilis praxis reddendi se immunem ab usura et pœnis illius tam quoad doctos.* — Cæterum, ut ex parte supra num. 61 et 62, in simili jam dictum, sicuti a culpa, sic etiam a restitutione, et pœnis usuræ multi, præsertim doctores se reddere possunt immunes, non tantum in casu, quo adest lucrum cessans, vel damnum emergens, aut periculum sortis, aut pœna ob moram imposita per dicta § 4 et § 5, sed etiam his absentibus, si nempe loco mutui emanat census, seu dent per contractum emptionis sortem principalem centum florenorum pro jure quinque annuatim percipiendi ex bonis debitoris, idque sive redimibiliter, sive irredimibiliter per dicta § 8, a num. 149, vel si id faciat, vel facere intendat per tacitum, vel expressum contractum societatis, uti fieri potest in casu, quo sortem principalem dat ei, qui cum illa negotiatur, et honestum lucrum quærit, ita ut hic præstet industriam, ille vero pecuniam hac conditione, ut de lucro ex sorte principali centum florenorum acquisitio tribuatur pars subministranti pecuniam, v. g. annuatim quinque.

192. *Quam indoctos præsertim in Germania.* — Et quamvis indocti, et rudes præfatas vias et titulos usuram declinandam non sciant, ac intelligant, sed absque ullo justo, quem scirent, titulo quinque annuatim exigant ob sortem principalem mutuo datam, et in ipso contractu alium terminum non adhibeant quam mutui ausleihen, leihen,

anlegen, etc., tamen a peccato usuræ, restitutione, et pœnis ipsius passim immunes censendi sunt: Tum quia bona fide procedunt, id faciendo, quod varios doctos et probos passim praticare vident; tum quia licet hujusmodi indocti non adhibeant, nec adhibere valeant expressam intentionem et titulum ab usura excusantem juxta dicta; tamen quia merito censendi sunt contrahere modo, quo possunt de jure meliori, eorum contractus non tam mutuum, quam emptio census, vel tacitus, aut expressus contractus societatis in re, et effectu judicari debent, etsi ob suam simplicitatem, et defectum notitiæ, terminum mutui adhibeant; præsertim cum verbum leihen seu mutuum dare, apud Germanos verbum valde generale sit, uti post Laym. Lib. III, tr. 4, cap. XVIII, num. 43, bene notat Engel, h. t. num. fin.

193. *Usura est mixti fori non tantum, si est questio facti.* — Quæritur II. Quis sit legitimus judex criminis usuræ? Resp. Usuras esse mixti fori, ita ut tam laicus, quam ecclesiasticus de illis cognoscere et judicare valeat, non solum si tamen facti questio, crimen vero liquido usurarium est; sed etiam quando est juris, seu quando disceptatur, num hic vel ille contractus usurarius sit necne. Prima pars de casu, in quo sola est questio facti, caret controversia, patetque ex c. *Post miserabilem*. 12, h. t.

194. *Sed etiam si est questio juris.* — Alteram partem de questione juris tenet Farinacius *Prax. crimin.* q. 8, n. 140. Menochius *de Arbitr. judic. casu*. 398, n. 4. Covarruvias lib. III. *Variar. resolut.* cap. III, num. 1. Sylvester *de usura*. 9, princ. Pirhing, h. t. nu. 14, et alii contra Glossam in c. *Cum sit*. 8. *Malefactores, de foro compet.* Clarum *de usura*. n. 8, et nonnullos alios volentes cognitionem questionis juris, de hoc crimine soli judici ecclesiastico competere. Probatur conclusio nostra; tum quia a jure canonico nullibi invenitur interdicta judici laico cognitio usuræ in casu questionis juris, sed positive concessa c. *Post miserabilem* 12, h. t. ubi sine distinctione inter questionem juris, et facti conceditur potestati sæculari facultas cognoscendi et judicandi usuras; tum quia hoc crimen non tantum ecclesiastico, sed etiam divino, et naturali juri adversatur, nec plus spiritualitatis in se habet, quam furtum, homicidium, adulterium, etc. Quæ cognoscere et judicare,

etiam sæcularem judicem posse, nemo negat.

195. *Solvitur objectio.* — Nec obstant, quæ adversarii objiciunt, jura ex c. 2, et c. *Præterea*. 7, h. t. Quia licet ex his probetur, crimen non tantum sæcularis, sed etiam ecclesiastici, fori esse, non tantum probatur id esse solius fori ecclesiastici, præsertim cum resistat c. *Post miserabilem*. 12, h. t.

196. *Quando est questio de peccato, solus ecclesiasticus est judex.* — Dices: cognoscere, num actus aliquis sit peccaminosus, solius fori ecclesiastici est, c. *Novit*. 13. *Non enim de judic.* et c. *Per venerabilem*. 13. *Nam si, qui filii sint legitimi*; atqui in questione juris agitur de solo peccato; ergo. Resp. Pertinere quidem ad solum forum ecclesiasticum, generali definitione decernere, quænam sint peccaminosa necne; hoc tamen non obstante bene potest judex sæcularis cognoscere, num hic vel ille contractus justus, vel injustus, canonibus, et legibus contrarius sit necne ut citati doctores bene advertunt.

## TITULUS XX.

### De crimine falsi.

1. *Quid falsum? et quæ requirantur ad illud?* — Quæritur I. Quid sit falsum, et quot modis committatur? Resp. I. Cum Sylvestro *de falsariis*, num. 1. Falsitas seu falsum est mutatio veritatis cum dolo et jactura. Triasiquidem ad ejus esse requiruntur, videlicet primo ut pervertatur veritas, *Novell.* 73, in præfat. Secundo, ut id dolo malo fiat l. I, et l. *Impuberem*, 22, ff. et l. *nec exemplum*, 2, c. *ad leg. Cornel. de falsis*, et tertio ut falsitas fiat cum notabili damno alterius, ita ut alteri noceat, vel nocere possit, etsi forsan impediatur, l. *qui falsas*, 6, et l. *Si falsas* 8, c. eod. alioquin uno horum deficiente non tenetur quis pœna hujus criminis, cit. l. *nec exemplum*. C. *leg. Cornel. de falsis*, cum concordantiis.

2. *Committitur quatuor modis scilicet dicto, scripto, facto et usu.* — Resp. II. Falsum, seu falsitas committitur principaliter quatuor modis, videlicet dicto, scripto, facto, usu, seu potius abusu, Farinacius, *Prax. crimin.* 6, lib. V, sect. 16, q. 130, num. 6. Mascari-

us, *de Probat.*, concl. 739, n. ult. Damhaud *Prax. crimin.*, cap. CXIX. Pirhing, h. t. n. 1. Engel, h. t. n. 2.

3. *Dicto committitur, præsertim per testes in judicio dicentes falsum.* — Quæritur II. A quibus dicto committatur crimen falsi? Resp. I. Dicto seu verbo committitur falsum per testes, qui falsum testimonium dicunt in judicio, vel verum supprimunt dolo malo. Hinc c. 1, h. t. dicitur: Falsidicus testis uterque reus est, et qui veritatem occultat, et qui mendacium dicit; quia et ille prodesse non vult, et iste nocere desiderat. Item habetur can. *Quisquis* 11, q. 3, concordat, l. I, et l. *Falsi pœna* 20, ff. *Ad leg. Cornel. de falsis*. Et hoc falsum valde abominantur jura, nam ut dicitur cit. c. 1, h. t. falsidicus testis tribus personis est obnoxius; primo Deo, cujus præsentiam contemnit; dein judici, quem mentiendo fallit; postremo innocenti, quem falso testimonio lædit.

4. *Vel supprimentes verum: et quomodo.* — Ubi tamen nota, quod tunc testis occultando veritatem censeatur falsarius, quando interrogatus a iudice super certo articulo falso dicit, se nihil scire; vel quando juravit, se cum pura veritate dicturum, quod ad propositum scit, et nihilominus eam tacendo suppressit. Secus est, si juravit solum simpliciter, se ad interrogata responsurum: tunc enim, si non interrogatus taceat veritatem, non tenetur crimine falsi. Farinacius *Prax. crimin. de Testib.* q. 67, a n. 230, ubi tamen occultantem verum excusat, si sine dolo id facit.

5. *Item, qui subornant vel corrumpunt testes.* — Resp. II. Ille quoque falsi reus est, qui testem subornat, vel donis aut pretio corrumpit ad dicendam falsum testimonium, vel occultandam veritatem, sicuti et qui utitur dicto testis falsi, Clarus § *Falsum*, num. 3 et 4. Pirhing, h. t. num. 4.

6. *Ac ipsi testes dolose negantes, se recordari, vel obscure deponentes.* — Illum insuper testem falsi reum esse, qui interrogatus respondet, se non recordari, cum debeat verosimiliter recordari; item si per malitiam et dolum respondet versute et obscure, tenet Farinacius, loc. cit. n. 224. Pirhing, h. t. num. 4.

7. *Item si judex corruptus iniquam proferret sententiam.* — Resp. III. Etiam judex verbo seu dicto committit crimen falsi, et ut falsarius punitur, si pecunia corruptus, vel